

Q. B. V. 5#
Dissertatio Philosophica
De

BELLOLE- GITIMO,

Quam
Cum Consensu & approbatione
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In
Regia Academia Upsaliensi,
PRÆSIDE

Adm. Reverendo Clarissimo q̄. Viro,

M. ANDREA 

L. Orient. Professore Publico Ordinario, nec
non S. S. Theol. extraord. Hospite & Fau-
tore plr. honorando,

Publicæ Bonorum Censuræ Subiicit

ANDREAS FRONDELIUS

de monte Dalcarius,

In Audit. Gustav. Majori ad diem 12 Sept. *oct.*
Anni MDC. LXXVIII.

HOLMIÆ excudit NICLAS WANKIIF,

N. M. Cellarius

Reverendissimo in Christo Patri ac Domino,
DNO. IOHANNI
BRODINO,

S. S. Theol. Doctori celeberrimo, in-
clutæ Dioceseos Arosiensis Episcopo
gravissimo, Regiique, quod ibi est, Gy-
mnasii ephoro Amplissimo,
ut &

Plr. Reverendis & Præclarissimis Viris,
de Ecclesia Christi ac re literaria opt. meritis,

D. M. ELAVO	D. M. PETRO
SKRAGGE,	GANGIO,
civitatis Parœciæq; He- demorensium Pastori meritif- simo, nec non adjacentium Præposito vigilan- tissimo.	Ecclesiæ in Zuna Dalcat- lorum Pastori Dignissimo, e- jusdemque districtus præposito lauda- tissimo.

Illi.

Ut Mecanati & Patrono Summo,
debito pietatis & reverentiæ cultu æternum prosequendo

His

Ut Patribus, Evergetis & Fautoribus magnis

Omni honoris & observantiæ affectu semper colendis,

Διάκει. & in presentem, in perpetua devotione

Tex. in. 107

dicat consecratque

A. F.

Handwritten signature or scribble in red ink at the bottom of the page.

AD Academiam hanc Patriam Florentissimam, piis desiderijs, DEO annuente, denuo redux, cognovi non paucos Musarum alumnos certamine pulcro egregia de rebus egregijs publicè luci committere ingenij Specimina, quorum exempla in-uitus, etiam de aliquo, qualicunq; demum, Subinde cogitabam. Ad trutinam verò solidioris sapientia, cum vires ingenij appenderem; plurima obesse sensi, quo minus desiderio suscepto Satisfacere possem. Quippe præteriti temporis ratio, quo sacris operanti publicis ejusmodi exercitijs Faciliorem Viam parare non semper licuit, difficilimum nunc huic proposito poni obicem. Cum autem bonis bonos probari conatus, & si non laudari semper, excusari tamen ab his sciam; quamvis non usque aded limato iudicio, perpolitoque dicendi genere prodeant, animum languentem collegi obfirmavique; decorum ratus de honesto proposito non derurbari. De argumento verò dum ambigebam; obtulit sese mihi, non hilare quidem, sed nec peregrinum, verum familiare satis, & è re præsentis quasi natum, triste quamvis, quod est de Bello, non quovis, sed Legitimo. Familiare dico, sed non aded familiare, ut pro dignitate sua à me pertractari possit. Cum non nesciam difficilissimam hanc materiam, vel limatissimi acuminis ac eruditionis homini futuram, si adyta ejus penetrare cõatus fuerit. Ego verò si exteriora ejus saltem feliciter delibasse me deprehendero, vota mea implevi. At verò alienum forsàn, atque ab officio & re Tibi videbitur B. L. quod qui hostem nasquam vidi, & ne pictum quidem exercitum oculis unquam usurpavi, pa-

ci non bello natus factusq³, in hujusmodi materiam propenderim. Verum enimverò seculum hoc Martiale, quoniam nihil ferè frequentius in ore omnium, quam bella & bellici tumultus, qui cogitas, me hanc materiam ut obviam magis mihi elegisse tractandam haud miraberis. In quibus autem bellum legitimum præcipuè consistat, & quibus niti debeat fundamentis, cum abundè nobis, tam sacra, quam externa suppedient litera, ex quibus quæ hic congesta vides, pleraque mutuatus sum, opera pretium existimavi, breves duntaxat, pro præsentis rerum habitu, eorum ducere lineas. In rudioribus autem hisce & concisa brevitate consignatis pagellis, plurima, hanc latè diffusam materiam spectantia, cum desine, & in allatis nonnulla fortè minus commodè tradantur. Tuus L. B. candor, Tuæq³ benivolentia æqui bonique quod hæc Consulas, atque de Tuo æquam censuram adhibeas, me sperare jubet. Dent hoc quicquid est conatus audacia mea reliqui, dummodò veniam à Te impetrem, qui exiguos proventus spe majorum benignâ semper acceptare soles manu, quod tanto facilius spero me impetraturum, quantum est argumenti hujus campus spatiosior. Interim L. B. vale longum, & pro felice operis, optatæque pacis successu, sequens mecum solve votum:

Da Pater auxilium: Compesce cruentaq³ Martis
Bella, tuam nobis placatus reddito pacem!

Præeunte Exercituum Principe.

Theſ. I.



Omissis, quæ tractationi præmitti possent, brevitatis propositæ causa, illicò manum operi ipsi admovemus; ne verò à recepta consuetudine prorsus desciscere videamur, tum ne ambiguitas errorum genetrix officiat, pauca ὀνοματολογία belli concernentia, in ipso disputationis limine, prælibanda esse duximus. De belli etymo nondum satis convenit inter Grammaticos. A Belo, (quem & Jovem nuncupârunt veteres) originem traxisse vult Cassiodorus. Postea, ajens (a) *Belus ferreum gladium primus produxit, à quo & bellum placuit nominari.* Quo cum consentire videtur Connanus, à Græco Βέλος, quod telum significat, deducendo. Nic. Carbo (b) ab Abele vult dictum. A belluis bellum dici, quia belluarum sit pernicioſa dissensio, vult Festus, quod probari posse videtur sententiâ Ciceronis: (c) *Temerè in acie versari & manu cum hoste configere, immane quoddam & belluarum simile est.* Prisciano arridet κατ' ἀν' ἰφρασιον bellum, quasi minimè bellum, dici. Quidam à bono torquent, quòd boni causa bella olim susciperentur. Varro, (d) item Scaliger, & cum eo

A 3

recen-

(a) lib. 1. c. 30. (b) in Pract. Pract. 1. 3. c. 5. 136. (c) lib. 1. Off. (d) l. 6. de ling. lat. p. m. 74.

recētiore quidā ex voce veteri duellum bellum derivant, per abjectionem τῶ u, & mutationem d in b, ut dis bis, duonus bonus, duellona bellona, sic duellum bellum: quæ non incommoda nobis videtur derivatio; nam inter duos tantum bellum, quod eis erat duellum initio fiebat; & quamvis multi essent milites, quorum operâ utebantur Duces, duæ tantum tamen erant partes. Græcis dicitur πόλεμος, secundum nonnullos à πολὺς, secundum alios quasi πολύαιμος, quod multum fundat sanguinem. Quidam à πολέω deducunt, quod omnia evertat.

II.

Differt bellum à prælio, quod bellum sit totum hoc tempus quo manet dissensio hostilis, etiamsi cessetur à conflictu, & nonnullæ intercedant induciæ, (e) Prælium est cum acies utrimque congregiuntur, & est pars belli, Aus. Popma, (f) quam vocum harum differentiam confirmat & Livius (g) Alexander uno prælio victus esset. Cicero pro Dejot. Non tam in bellis & præliis &c. Aliquando tamen bellum pro prælio sumitur. (h) Prælium autem quod est ipse congressus, Svet. Vapna Stiffie / à pre-mendo dictum volunt quidam, quod in dimicando se invicem hostes premant. Significan-
tius

(e) Gell. l. 1. c. 15 (f) in de Differ. verb. l. 1. (g) l. 9. c. 19. (h) Virg. Æn. 2.

3
tius volunt alii à prælo, quia profluit sanguis è
corporibus gnaviter pugnantiam in prælio, non
secus ac mustum è prælis. Pugna est à pugno,
manu in condylos contracta, ut existimavit Do-
natus; *Nam veteres, ait, ante usum ferri & armo-
rum, pugnis, & calcibus, & morsibus corporumque lu-
ctatione certabant.*

III.

Bellum, quod in genere dissidium dicit,
est aliud animorum, quod fit verborum dissen-
sione. bellique nomine non rarò venit; aliud
acierum quod àrmis fit, de quo hoc loco. Est
autem iterum, aliud privatum, aliud publicum
utrumq; vel offensivum, vel defensivum legitimum vel
illegitimum. Nos misso privato, de publico, & quo
dè legitimo sùus acturi. Legitimum dicitur à Lex,
Lex (ut vult Isidorus) à legendo, Cicero à deligen-
do, Scholastici à ligando, quod legatur, optimum
eligat, & subditos ad obœdientiam liget: quo-
modo legitimo opponitur illegitimum & inju-
stum, quod naturæ societatis hominum ratione
rectâ utentium, repugnat; vel adhuc strictius,
quod quarumvis legum vi neglecta, aut suppres-
sa, prorsus omnem earum excutit metum. Quod
frustra de omnibus bellis dicitur, quasi omnem
legum constitutionumque reiiciant disciplinam,
cum certis cancellis circumsepta & sint, & esse
debeant; quamvis, ab usu vero dum receditur,
non rarò verum fiat tritum illud: Inter arma si-
lent leges.

Definitione Bellum in genere consideratum definitur, à Grotio datam non ineptè sentimus, scilicet esse *statum per vim certantium quæ tales sunt*; nam actionem, qui contendunt esse, bellum à pugna non ritè distingvunt. Neque enim hostes soli existimandi, qui jam navali aut terrestri prælio certant, sed pro talibus habendi, quicunque jacta jam belli alea, sive ipso opere, sive consilio & machinationibus, ut in induciis fieri consuevit, etiamsi nondum pugna committatur, in perniciem alterius vigilant. Hoc autem bellum jam legitimum esse dicimus, quando justis de causis ritè suscipitur, adversario, à quo injuriam accepimus, solenniter, si res ita ferat, indictum. Svetico idiomate dicitur *Seigdi* item *Krig*. V.

De illo itaque dum inscribitur hæc tractatio, primum hoc intelligimus, quod generalissime quæri solet, si ne bella licita, & an Christianis licita, cum bella belluarum rectius videantur, quæ arma in ipso corpore habent, ut bos cornua, dentes aper, ungues leo, quam hominum, potissimum Christianorum, ad concordiam ac pacem constitutorum, belli imprimis indole penitus considerata, quod omnium malorum *Iliada* advehat & sit in genere mali. Illicitum tamen sua natura non esse, argumentis probamus sequentibus.

Ex

(i) de jur. bel. & pac. l. r. c. r.

I. Ex jure naturæ, regula illa immutabili
 menti humanæ naturaliter infita, satis liquet,
 sui defensionem contravim illatam licitam esse.
 Est enim opus naturæ impressum, ut sicut
 nemini alii nocendum ducamus, ita â nemi-
 ne nobis noceri velimus, quod vel maxi-
 mi inter Scriptores testimonio confirmatur:
 (k) Principio, ait; *Omni animantium generi à natura tri-
 butum est, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque
 ea, quæ nocitura videntur.* Quod si privatus ex le-
 ge naturæ & congruenter rationi rectæ, potest
 violentiam injustam â se repellere, vitam & cor-
 pus tueri, multò magis licebit summæ potesta-
 ti personam publicam gerenti, & gladium di-
 vinitus sibi datum gestanti, â se, & subditis suæ
 fidei commissis, manifestam violentiam repel-
 lere, & eorum vitam bona & corpora tueri.
 Prius impugnari non potest, siquidem adhuc
 dum sua vis constet illi Cicer. (l) *Est enim hac non
 scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepi-
 mus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausi-
 mus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non
 instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas
 insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimico-
 rum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda sa-
 lutis.* Ergò assumptionem posterioris exinde
 concludere pronum, quia ejusdem est rationis,
 imò majorē præse fert dignitatem utilitatemq;.
 Quid, quod in oppugnatione ædium suarum
 potest

A s

(k) Cic. off. (l) pro Ann. mil. p. m. 768.

potest pater familias se suosque defendere, & vim illatam propulsare, quidni hoc idem Magistratui concessum foret, integrum Reip. corpus contra vim defendere? Et si is privatam de aliquo subditorum, qui alterum læsit, possit, imò debeat, boni publici causa, sumere vindictam, cur non licebit eidem publicam sumere de hoste, qui rep. cupit evertam? Et certè omne genus viventium hunc naturæ stimulum sentit, ut se salvum mavelit, quam afflictum & subversum. (m) Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. Nam (n) cum duo sint genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum: cōsugiendum est ad posterius, si qui non licet priore.

VII.

Dum loquimur de privato bello, illud sciendum est, nos non tuendam defendendamque suscipere vindictam privatam; non enim convenit homini Christiano, injuriam sibi illatam pari in juria compensare, nec est nostrum, aut ullius privati, sed Magistratus, aut ipsius Dei injurias vindicare: at violentiam & vim a se arcerere, privato licere, hoc dicimus, his tamen conditionibus. Si tam præsens sit & subita in-

(m) Cic. pro Mil. (n) Li. off.

7
vaforis oppreffio, ut nullo modo evitari, nec
fuga nec alio difceffu poffit. 2. Si pertinaciter
immineat vitæ proximi, & licet injuriam pre-
cibus amotam eat invafus, illum nihilominus
adoriri perfeverat. 3. Si Magiftratus auxilium
implorari nequeat, & mora cum præfentiffimo
vitæ periculo fit conjuncta. 4. Si non nifi re-
feriendo occidendoque vitam fervare poffimus.
Verbo: obfervato inculpatae tutelæ moderami-
ne. Sic, ut quamdiu nos tueri occiffionemque
declinare poffumus, etiam vitæ invaforis parca-
mus, cum autem præter æquitatem pertinaci-
ter perfiftat, eo temporis momento, quo nos
impeti videmus, ne priores opprimamus, eum
interficiamus; non autem ex intervallo, quo-
niam mora quæ intercedit, amittit nomen in-
culpatae tutelæ, privataeque ultionis induit. U-
bi & illud tenebimus, ne vim vi majore, quam
eft invaforis propulsemus, femper fervata fim-
plici noftri defenfione, ne ex amore vindictæ
cædem cæde anticipaffe videamur. Eleganter
in hanc rem Doct. Oñand. (e) *Invafor injuftus non
indiget ope noftra ad salutem, cum fibimet ipfi confulere
poffit, ceffando ab actu peccaminofa invafionis, hinc et-
iam ceffat obligatio subveniendi, quæ indigentem præ-
requirit. Et interjectis aliquot: Animus autem de-
fendentis, primum intentus fit in defenfionem fui, non
directam occiffionem proximi, ex ira vel alio affectu pro-
ximi, & fi potest vulneratione etiam sufflaminari im-*

petus in-

(e) in Grot. l. 2. c. 2.

rus inuasoris / ulterius non progrediatur, neque lesionem nisi sub ratione Medii impeditivi Homicidium, vel activum vel passivum eligat.

VIII.

Solent interim mortales, pro nativa corruptione, privatam illam vindictam, pallio necessariæ defensionis plus æquo cooperire, dū ex hac naturæ lege de vi repellenda statim concludunt, posse unumquenque privato appetitu, & iræ flammis percitum, sine ullo respectu ad autoritatem publicam, injurias sibi illatas ulcisci. Verum enimverò, illicita est talis vindicta, ejusque prava interpretatio ex verbo Dei & Evangelio corrigenda. Quod quidem non tollit hanc naturæ legem omnibus inditam, sed pravas ejus interpretationes corrigit emendatque, ut justa & vera ejus praxis exerceatur. Est verò quando vindictam etiam publicam privatus exercet, dum scilicet in subita violentia, ubi Magistratus auxilium haberi nequit, latronem interficit. Eo in casu leges & jura gladium privato tradunt.

IX.

2. Si effectus belli legitimi sunt in ac per se utiles non modò, sed & necessarii, utique etiam bellum per se ac simpliciter non est improbandum: Utiles sunt, quia salutem reip. conservant, ejusque societatem tuentur, sine quibus nulla resp. firmari, amplificari, conservari, nulla
ab inte-

9
ab interitu vindicari queat: Qua verò alia ratio-
ne, se corpusque suum servare possit resp. vel
maximè illo rerum turbine, quo, uti nunc a-
gitur, in perniciem unius tot conspirant hostes,
implent armis virisque totum orbem, classibus
maria consternunt, funditus undiquaque eam
deleturi. Pacem acquirunt bella, quæ sine il-
lis debilis & manca, acquisita verò, religioni
& honestis moribus patrocinator, Magistratui
suam auctoritatem, subditis incolumitatem con-
ciliat, literarum studiis, quæ sunt flos & origo
reliquæ felicitatis in rep. hospitium & gratiam
exhibet, matrimonio suum honorem tribuit;
sub ea liberi defunctorum juxta securè agunt, a-
gricultura artium nutritur liberè exercetur, com-
mercia, terra & mari, sine ullo metu hostili fi-
unt; verbo: Securi quæ corpora, quæ fortunas,
quæ famam & existimationem vivunt Principi-
bus subditi. Hunc ergò scopum qui intendit,
bellum simpliciter improbare non potest. Ad-
hæc, bello frena imponuntur proterviæ exte-
riorum, ut adversus validum promptumque sui
propugnatorem insurgere vereantur. Quid,
quod & ignava rep. liberat turba, a vitiis sub-
ditos avocatur, domesticas dissensiones impedit,
aliisque rebus suum commodum confert, quæ
tamen, ut & hæc posteriora, nunquam tanti
æstimanda sunt, ut bellum propter ea consequen-
da suscipiatur, sed ut effectus illi, quorum su-
perius mentio facta attendantur, Ex quibus
conclu-

concludimus, bella per se ac simpliciter non esse reiicienda.

X.

3. Ex sacris porrò scripturis pro affirmativa fortius pugnatur, respicientibus. i. Deum mandantem bella, quibus tanquam flagro utitur gravissimo ad scelera puniendā. (p) Sic Moysi præcepit ultionem manu filiorum Israël sumendam de Midianitis. (q) Moses vicissim populo. (r) Similiter Gideonem iussit procedere in fortitudine sua ad liberandum Israël de manu Midian. (s) Davidi se per Abiatharem consulti respondet: *Persequere, comprehende eos, & excuties pradam.* (t) Ad bella infirmus spiritu suo incitat & urget Deus. (u) Leges eorum præscribit. (x) Scientia belligerandi heroas imbuat. (y) Ipso tandem auxiliante, dissipatis hostibus victoria reportatur. (z) Hinc August. *Semper illud belli genus justum, quod Deus imperat.* Lib. 6. quæst. sup. Jos. 10.

XI.

II. Sanctos homines bella gerentes: Quamvis non parum obfint fidei, & doctrinæ Christianæ exercitiis publicis, bella, hoc tamen non obstante, ea gesserunt homines pii, herôes divinitus excitati, fortunati, multis in scriptura

elogiis

- 26*
 (p) Lev. 25. Esa. 42. 25. Joel. 3. 9. & seqq. (q) Num. 31. 2.
 (r) v. 3. (s) Jos. 6. 14. (t) 1. Sam. 30. 8. (u) Jud. 3. 9.
 10. c. 15. 14. (x) Num. 10. 9. Deut. 20. 2. (y) 2. Sam.
 22. 35. Ps. 18. 35. Ps. 144. 1. (z) Ex. 17. 9. Jos. 10. 13.

elogiis celebrati, utpote Abraham, Moses, Jo-
 sua, David, Ezechias, Josaphatus, Duces Mac-
 cabæi, quorum meminit *ὁ θεός* *πνευσος* ille, (a)
 quod *per fidem fortes facti sint in bello & castra verte-
 runt exterorum.* Quin & in novo fœdere, ipsius
 Christi temporibus exstiterunt fide insignes plu-
 rimi, qui tamen militiam aut abdicasse, vel ad
 eam abdicandam a Christo, Apostolis, aut eo-
 rum successoribus moniti non leguntur. Ex-
 emplo sint *ἑκατόμυροι* illi. (b) Centurio Ca-
 pernaiticus. (c) Cruci assistens (d) Cæsarien-
 sis. (e) Et nunc post Constantinum, Theodo-
 sium, Valentinianum, &c. alii pii Reges ac
 Principes Christiani, qui quoque bella gesse-
 runt, nec ab æquis censoribus eo nomine repre-
 hensi inveniuntur; inter hos piâ grataque recor-
 datione amplectimur semper Reges Sveciæ Au-
 gustissimos, qui pro religione patriæque liber-
 tate acerrimè armis justissimis pugnarunt. Quo-
 rum Vestigiis virtute sua, pietate pari, insistit
 Rex Regni Clementissimus hodiernus, (utinam
 nobis quam diutissimè superstes!) quem cum
 Davide verè prælia Domini præliari, quis ambi-
 get? Nec esset nobis ad eò difficile pro defen-
 sione belli liciti ex consensu Ecclesiæ primitivæ
 militare, si è re esset; verum temporis propo-
 sitique habita ratione, hic allatis acquiescimus.

Qui

(a) heb. 11. 34. (b) Luc. 3. 14. (c) Matth. 8. 8. (d)
 Jbid. 27. 54 [e] Act. 10. 1.

XII.

Qui contrariam fovent sententiam, urgent inter alia hoc vel maximè, multa nunc non licere sub Lege Christi & Evangelio constitutis, quæ sub lege Mosaica in V. T. fuerant concessa. Verum probent prius, quod Lex naturæ, quæ immutabilis est, destruat per Evangelium, & dabimus illis, omne jus belli, legi naturæ licet congruum, nunc debere cessare. Nam, qui lineamenta illa, corpus ipsum saltem adumbrantia, perfectè implevit, non venit in mundum, ut sua doctrina & prædicatione, jus naturæ, & leges rectæ rationi consentaneas extirparet, magistratus officium convelleret, novamque politiam constitueret. Neque quæ ab ipso Christo traditur doctrina spiritualis, novas leges novave dogmata cudit, sed adhibuit nonnunquam genuinam explicationem legis moralis, cujus notitia caligine peccati originalis obducta, corruptelisque Phariseorum adulterata fuit. Quinimò, sicut per Evangelium non interdiciuntur rebus vitæ necessariis, ita neque prohibemur, quò minus agamus & vivamus, ex jure naturali & honestis Reip. statutis, legi morali non repugnantibus.

XIII.

Ex his omnibus liquidò constare putamus, & bella gerere licere, & Christianis licere. Est namque Deo gratum, ut reges, quibus gladius est

est commissus, Christiani maeant, & vitam tranquillam
 Christianis praestet. Idque tanto majore nisu studioque
 quanto ipsis quam Barbaris & gentilibus sapientia
 tradita est & virtus excellentior. Is est finis acce-
 pti gladii, ut tranquillam & quietam vitam de-
 gant Regibus subditi, in omni pietate & hone-
 state. Commendata Regibus Persarum fuit
 haec cura, *ut qui eorum suberant imperio, tranquil-
 le feliciterque viverent*, test. Ampliss. Loccen.
 (f) quae tamen cura in plerisque hujus tantum
 vitae bona spectabat, quanti aestimandam cen-
 seamus quae pro animarum non minus, quam
 corporum salute vigilat, religione scilicet ve-
 ra facta tectaue conservanda?

XIV.

Hiscie ita positis, nemo non videt quod vis
 a nobis non probari bellum, sed justum tantum,
 legitimum & necessarium, quando scilicet bel-
 li gerendi necessitate salus Reip. imposuit, frustra
 tentatis aliis omnibus civium servadorum mediis, &
 quando alia ratione pacis commoda obtineri ne-
 queunt. Tale nimirum quales sunt actiones va-
 lidis fundamentis innixae, juxta illud Demosth.

(g) ὅτι περὶ γὰρ οἰκίας, οἶμαι, καὶ πλοῖσιν, καὶ τῶν ἄλλων,
 τῶν τοιούτων, τὰ κάτωθεν ἰσχυρότατα εἶναι δεῖ,
 ἔτω καὶ τῶν πράξεων τὰς ἀρχὰς, καὶ τὰς ὑποθέ-
 σεως ἀληθεῖς καὶ δικάσιαι εἶναι ὑπεστήκει. Sicut in domi-
 bus, & navigiis, rebusque similibus, quae substernuntur,
 firmissima

B

esse

esse oportet; ita in actionibus causas & fundamenta oportet iusto ac vero congruere. Fundamenta autem & conditiones belli legitimi sunt præcipuè quatuor, respectu scilicet 1. Causæ efficientis. 2. Impulsivæ. 3. Modi. 4. Finis. Causæ efficientis nomine hic venit, penes quem summa est in societate potestas, & cujus auctoritas non pendet ab alio. Hujus auctoritatem in bello maximè requiri, vel exinde patet, quia cum illi incumbat defensio plebis sibi commissæ, ejus quoque erit externa vi ingruente, ad arma sibi subjectos convocare, quod privati cujusquam munus esse non potest. Hinc à politicorum Magistris refertur jus belli gerendi ad jura Majestatis, ut illi portas belli *πολιτοκρατικῶν* aperire soli sit permissum, quod vel disertè exprimit Scriptor Sacer, qui Magistratui gladium, non vero civibus datum testatur. (b) Quò etiam alludit Augustinus (i) qui sic habet: *Ordo ille naturalis mortallum paci accomodatus hoc postulat, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principem sit; inde factum est, quod qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, aut exercitum comparaverit, reus læsæ majestatis lege Romanâ teneretur. Unde liquet, auctoritatem belli in Rep. gerendi non nisi à suprema dependere potestate. Quod etiam foeminis belli indictio nonnunquam conveniat, id inde est, quod fasces imperii gerant; in castris verò ver-*

fari

[b] Matth. 26: 52. Rom. 13: 4. [i] Contr. Faust.

15
fari minus sexui earum convenit, nec satis tutū.

XV.

Potestati summæ, cui jus belli gerendi com-
petit, videant subditi, quò concordia atque sa-
lus publica facta tecta servetur, ut in omnibus
ad defensionem facientibus, quamvis arduis,
obcediant, dummodo non præcipiat manifestè
impia injustaque. Quod si bellū notoriè atq; ma-
nifestè injustū moveat, subditi ab obcediētia ab-
solvuntur per regulam Apostolicam: [k] *Obcedere
oportet DEO magis quam hominibus.* Tum
ad nullum peccatum, quò tale est, ulla obliga-
tio. Gentilibus illud notum ex lumine naturæ.
Socrates apud Platonem: *πείσομαι τῷ Θεῷ
μᾶλλον ἢ ὑμῖν.* Si vero res adhuc sit dubia,
observent regulam vulgatam: *Tene certum, relin-
que incertum,* item illud Taciti: [l] *Principi sum-
mum rerum iudicium Deus dedit, subditiis obsequii glo-
ria relicta est.* Neque illorum est curiosè ni-
mis & anxie in belli causas & consilia Magistra-
tus inquirere, sed quia executores sunt tantum
sententiæ alienæ, ab illis honor & obedientia
potissimum desiderantur, quò officii sui debi-
tum impleant. Nam quī verè obediens est, non
disputat, sed paret. Et si belli causa non sit o-
mnibus omni ex parte æquè cognita, sufficit co-
gnitam esse illis, quī iure fruuntur inquirendā
in armorum iustitiam, quā ipsis probatā, pos-
sunt

B 2

siunt

sunt cives cæteri salva conscientia arma aggredi, quoniã ei, cui subsunt, & cuius se defensionem cõmittere debent, incumbit Deo aliquando rationem reddere gestorũ negotiorum, & si obsequiis abutatur plebis, ad designanda injusta ac impia. Aliter se cum extraneis res habet, si non sciant an bellum sit justum ab illa parte, cui operam suam locant; nam illos non excusat posita in dubio conscientia, cum nulla hic sit obligatio, cur castra domini alienigenæ peregrini sequi debeant.

XVI.

Postquam percepimus bellum ab eo solum, qui majestate gaudet debere suscipi, dispiciamus, an in nullo planè casu, arma queant arripere subditi contra extraneum, cessante mandato publico Summæ potestatis? Distingvendum hic esse cum DD. censemus inter bellum offensivum & defensivum. Ad prius, quo alios invadant, injussi descendere non debent subditi. In eo autem, quo se & suos contra vim præsentissimam defendant, habetur respectus ad mandatum, vel expressum, vel tacitum. Si ita repente ab hoste oppugnentur, ut non ferat tempus eum consuli, qui supremum in imperio jus habet, licere subditis cum magistratus inferioris consilio, adversus hostem sese pro virili defendere, censemus. Et cum homini privato in subita oppressione contra latronem liceat vim repellere, quidni Reip. quamvis imperfectæ, imprimis quando præsumitur accessurus consensus supremi in

supremi in Rep. Magistratus. In tali casu enim, quum expressum mandatum haberi nequeat, sufficere videtur tacitum.

XVII

Causæ impulsivæ 3. sunt: Necessaria defensio, justa vindicatio & ablatorum recuperatio. Dignus est locus, qui in explicationem hujus thesæ ex Lud. Molina [m] adscribatur, qui sic habet: *Sicut non licet, pro quacunque culpa exequi graves pœnas, ut mortis, abscissionis membri, & flagellorum, in internos malefactores: ita non licee pro quacunque injuria ab externis illata, bellum adversus eos movere, quotot cædes, direptiones, incendia, vastationes & similia alia gravissima mala inferuntur.* Patet ex eo non debere esse levem aliquam, sed prægnatē belli legitimi causā, ob quā suscipiatur.

I. Est verò inter primas belli legitimi causas, contra vim illatam defensio. Quæ est vel propria vel aliena. Propria, cum à se suisque vim ardet Summa potestas. Aliena, cum à sociis & oppressis. Justa suscipitur defensio pro religione, libertate, patria, parētibus, uxoribus, subditis, cognatis, confœderatis, dedititiis, & qui operam in angustiis constituti nostram implorant. Religionē defēdēdā esse, liquet ex eo, quod institutum Israëlitarum, sub quo latuit defensio religionis, adversus Rubenitas non impediverit Deus, sed Legatorum, de re cognoscenda, iter promoverit (n). Eòque tendunt verba Judæ

B 3

Macca-

(m) Tom. 1. tract II. Disp. 102. §. 7. (n) Jos. 22: 13 Seqq.

Maccabæi: (o) Nos vero pugilabimus pro animabus nostris, & pro legibus nostris. Non quasi religio in ac per se, armis ac vi corporali defendenda, sed subditi ob religionis professionē injustè oppressi, contra vim defendendi. Libertate, dixi, patria, &c. [p] Est enim non modò justum, sed & necessarium, ut vi contra vim illatam nos defendamus, & [q] libertatem patriam, parentesque armis regamus. Itaque & princeps Philosophus [r] decrevit: Δεί τῆς ἀδικημένους, ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμείν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικημένοις βοηθεῖν. Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere, sive pro cognatis & beneficis, itemque sociis injuria affectis auxiliari. Nec dissimilis ratio in oppressis, quos si gravior aliqua vis, aut extrema tyrannis urget, videtur cogere commune societatis vinculum, ut hos adjuvemus. Qui enim non defendit, ait Cicero, (s) nec obsistit, si potest, injuria, tam est in vitio, quam si patres, aut patriam, aut socios deserat. Si vires nobis non suppetūt, nec foedera permittunt, nec injustè eos oppressos constat, dubium præstat habere amicum, quam hostem apertum.

XVIII.

II. Vindicatio injuriarum, quam secundam belli legitimi causam dicimus, quamvis à nonnullis improberetur, ex albo tamen causarum belli expungi non debere, ut svadet, ita eandem se-

i. (o) I. Macc. 3. 21. (p) Cic. pro mil. (q) Sallust. Catil. (r) Arist. Rhet. ad Alex. (s) I. 1. off.

riò cōfirmat sana ratio. (t) Hanc etiã probat D. Augustin. (u) *Iusta autē bella definiti solent, qua ulciscuntur injurias, si qua gens, vel civitas &c. solent autem hæ numerari. 1. Legatorū violatio. Erat antiquis jus legatorum sanctum & inviolabile, cum hominum præsidio, tum divino jure defensum, adeò ut inter arma & tela hostiū, incolame servaretur.* (x) In veteravit una cum seculis ætateque hominum hoc jus, si non apud omnes, plerasque tamen nationes, adeò ut violatis legatis violari jus gentium & Magistratum hos ablegantem sūma affici ignominia censeatur, quam armis vindicare, si non interveniat satisfactio, queat. Hinc fit si delictum aliquod atrox commiserit legatus in remp. ad quam mittitur, consultius ducatur hanc non ad supplicium mox rapi, sed prehensum remitti ad dominum, qui misit, ut ille pœnas ab ipso exposcat, & pro qualitate gradusque delicti puniat. 2. Pactorum diruptio; e- quidem fœdera unius reip. cum altera injustè rescissa, bella pariunt, vide [y] 3. Cum hostibus conjunctio; qui hostibus in bello se conjungit, eodem cum illis loco meritò habetur, atque in eum æque, ac in hostem bellum inferri potest. [z] 4. Vindictæ contra facinus notorium neglecta exactio. Qui negligunt corrigere id, quod turpiter & improbè à suis contra justitiam & honestatem publicam commissum est, de

B 4

iis

(t) Num. 31: 31. macc. 2: 66. 67. (u) l. 6. quæst. super Jos. 10. (x) Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 5. c. 3. p. 20. 251.

(y) 2. Reg. 3: 6. (z) 2. Sam. 8: 5.

his ultionem sumere licet, & iusta vindicta persequi blasphemias, profanationes aliave flagitia committi solita. Huc spectant illa August.

[a] *Gens & civitas petenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum, vel reddere quod per injurias ablatum est.*

XIX.

III. Est recuperatio rerum iniquè ablatarum. Etenim consentaneum est legibus & ræ rationi, ut quæcunque justo titulo alicujus propria facta sunt, ejusdem sint & maneant. Ita namque firmantur possessiones, tam publicæ, quam privatæ, tempore moraliter infinito, ut nequeant revelli, multò minus ab alio per vim auferri; quod si fiat, easdem repetere omninò licet, quatenus vi alterius bona sua facere nemini concessum. Interest quoque reip. ne singulæ partes decerpantur, sicque sensim iis sublatis totum pereat, ut suæ ditioni sublata, repetat; si vero justè sibi sint erepta, repetenda non sunt, nedum bello; illud quippe non tantum ad perturbandos civium animos bellaque ferenda, pertinet, sed & juri naturæ repugnat.

XX.

Ostendunt satis quæ dicta sunt, non ob quamvis causam, levem aut exilem, bella esse suscipienda, sed ob gravem atrocemque, & totum reip. corpus spectantem injuriam. Idem est sensus Molinæ: (b) *Illud est animadvertendum,*

(a) cit. loc. (b) cit. loc. in thes.

non quamcunque injuriam vel materialem, vel simul etiam formalem, esse sufficientem, ut bellum justè inferatur, sed oportere esse prudentis arbitrio gravem & dignam, ut propter eam tantum malum, quantum est bellum, inferatur. Laudatur hoc nomine Augustus, [c] quod nulli genti sine justis & necessariis causis bellum intulerit. Afferit hoc idem de Romanis, florente adhuc eorum imperio, Polybius: [d] οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι πρόνοιαν ἐποιῶντο, μηδέποτε πρότεροι τὰς χεῖρας ἐπιβάλλειν τοῖς πέλας, ἀλλ' αἰεὶ δοκεῖν ἀμυνόμενοι ἐμβάλλειν εἰς τὰς πολεμίας. *Rōmāni sūmoperē id curavūt, ne priores ipsi finitimis infererēt violentas manus, sed ut semper crederentur in hostem ire, ad arcendas injurias.* Et sanè omnibus, quibus cura salutis publicæ concredita, diligenter videndum, ne quâ parte suus ut & ipsorum, qui operam sibi addicunt, oneretur animus; quippe inutiliter fusi sanguinis rationem olim redditori. Quicumque igitur nullâ lacessitus injuriâ, solâ animi libidine, avaritiâ, ambitione aut iracundiâ, non pacis & quietis acquirendæ ergò, ad arma profilit, bellum legitimum suscepisse ne dicatur. Et sequetur eum tragædiis decantatus finis. *Darius infelice Marte cum Schyris & Atheniensibus congressus est, quòd sola plus habendi cupiditate bellum contra eos suscipere ret.* [e] Quid? quod aliena appetentes, non rarò propria amittunt, quod Lacedæmoniis obtigit. [f] *Hi non contenti*

B 5

accessio-

(c) Sveton. vit. Aug. c. 20. [d] apud Svidam [e] Loccen. de Period. imp. L. 2. c. 5. [f] Ibid. L. 3. c. 7.

inaccessione opum Atheniensium, ipsum etiam Asia imperium appetebant; verum non solum affectato non potiti, sed & proprio exciderunt. Adeo libido uon solum dominantium animos vertit, ut non credas eosdem esse, sed & cum illis imperium. Queritur hoc Hippolytus apud Senecam: [g]

*Rupere sædus impius lucri furor,
 Et ira præceps: quæque succensas agit
 Libido mentes. Venit imperii sitis
 Cruenta: factus præda majori minor.*

XXI.

Sequitur tertia belli legitimi conditio, qui est modus. Non solum causæ belli gerendi debent esse justæ, sed & ipsum justè geri. Hic consistit potissimum, in 1. Pia belli inchoatione. 2. Justa administratione. 3. Prudenti consultatione, & 4. tandem in forti dimicatione. Inchoatur omnium optimè a Principe bellum, si sit ipse pietatis vitæque exemplar, ex quo tanquam è speculo, suam formare velint vitam milites. Erit hæc norma & cynosura omnium actionum humanarum. Mirum quam sit hæc mater omnium virtutum, etiam militarium, & scaturigo universæ felicitatis humanæ. Ex impietate Principis, tanquam Pandoræ pyxide, omne fluit genus malorum. Hæc ubi aberit, atque illa aderit in duce militibusque, non est quòd de successu desperent, licet arcano nobis & ignoto sine, aliter non rarò hæc alea cadat.

Atrenues

(g) Act. 26

Strenuus hujus virtutis sectator erat Constantinus, semper habuit in exercitu tabernaculum, quò se recipiebat Deo Opt. Max. preces suas oblaturus, ut testatur historia tripartita.

XXII:

Circa initium belli, adhibendam censemus pacis seriam oblationem. [b] *Omne bellum facile sumitur, ceterum agerrime desinit, nec in ejusdem potestate initium est & finis.* Proinde ne faciles dicamur properasse ad arma, pietatis hoc est, omnia pacis media prætentare, antequam arma capiantur, & verbis omnia prius experiri, quam armis, sapientem docet, [i]. Uti in puteum, ita in bellum, facile se dimiserit quis, haud facile e-duxerit. *Non accedendum eò, unde liber regressus non sit.* [k] At si renuit hostis oblatae pacis condiciones, certa in Deo, non viribus propriis, collocata fiducia, armis agere, diatur hostem læsus, præmissisque in Deum, devoto corde, pro auxilii imploratione, piis precibus, justam severamque belli disciplinam, qua res Romana stetit, servet, in averrucandis, non minus scelerum è castris libidinumq; illecebris, quã in exercitiis militaribus. Nã ideò castra dicuntur, quasi quòd *casta, ibi castrari debeat omnis libido.* [l] Quae si fuerint tabernacula pietatis, erunt etiã domicilia omnis felicitatis. Item in extirpandis blasphemis & diris imprecationibus, omnique sævitia in inermes. Quibus factis felix speratur successus,

[b] Sallust. Jugurt. (i) Terent. (k) Senec. de tranquill. animi. c. 5. (l) Stew. ad Veg. l. 1. c. 3.

victoria læta, & hanc, quæ excipere solet, aurea exoptataque pax.

XXIII.

Diximus modum consistere 2^{do} in justa administratione, ne quid committatur, quod legi Dei, juri naturali gentiumque adversetur. Complectitur hæc primò legitimam belli indicationem, si res ita, in bellis puta offensivis, ferat. Strictè hunc observarunt morem Romani, nullum putantes justum bellum, nisi quod rebus repetitis gereretur, aut ante denunciatum foret. [m] Quod & ipsius Ciceronis probatur testimonio. [n] Sed nec Israëlitis incognitus, [o] Si quis res tuas, ait Lipsius, [p] aut jus rapuit: cape arma, cum ea conditione tamen, ut ex formula Veteri prius mittas Clarigatum, i. e. res raptas clarè repetitum. Si nihil impetretur, renunciandum amicitiae & fœderi, si quod intercesserit bellumque indicendum, ut fiat perfectus utrimque armorum apparatus. IncurSIONES clandestinae aut violentæ, non sunt bellum, sed latrocinia & depraedationes. [q] Qui jure agere & satis facere paratus est, in eum nefas bellum sumere, sentiente Archidamo: καὶ ἐπὶ τὸν δίκαιον δίδονται, ἂν νόμιμον ὡς ἐπὶ ἀδικεῖν αἰεὶ εἶναι. (*)

XXIV.

Habet & illud justa administratio, ut inter milites vigeat severa disciplina (quod supra quoque

(m) Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 5. c. 3. (n) L. 1. off.

(o) Deut. 20: 10. (p) L. 5. civ. Doct. (q) Piccart

obl. Pol. dec. 10: 10. (*) Thucyd. 1.

que intendimus) Reip. stabilimentum, quâ milites coërceantur, ne illos, qui vel transitum per suam regionem præbent, vel qui Socii sunt & provinciales, expilationibus & direptionibus gravent. Cû transeundû haberêt Israelitæ per fines Edom, nunciari curarunt, ituros se viâ regia, nec deflexuros neq; ad dextram, neq; ad sinistrâ: Si qua re ipsorû haberent opus, justû pretiû eis persoluturos. (r) Ideo provinciales tributa præstant, ut ejusmodi iniquis expilationibus liberentur. Cum verò sacrilegiis, latrociniis, libidinibus & segetum exustionibus indulgetur, ipsi veluti Deo bella inferuntur, quæ miserabili clade tragicum habent interitum, & Panicum terrorem non rarò militibus incutiunt. Hac denique atroci insultatione uti prohibetur in victos & supplices; in pactis dolo; Observatione infidiatoria & ficaria aggressione; venenorum usurpatione; urbium & propugnaculorum mercatoriâ prodicione, & quæ hujus generis flagitiaarendæ victoriæ alia. De strata gematis alia est ratio, fuerunt namque semper & sunt licita, quod exemplis & re probari posset, nisi finem jam dudum nobis imperaret institutæ brevitatis ratio.

XXV.

3^o In Prudenti consultatione. Omnem respuunt bella temeritatem, itaque qui bellum suscepturi necesse est 1. perpendant, an ipsis commo-

(r) Num. 20: 14. Deut. 2: 6.

commodum sit, & utile bellum gerere. Notanter Livius: (s) *Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo.* Quin præcogitanda sunt tam publica quam privata mala. Atque adeò 2. deliberant, an sat virium habent, ad profligandum hoste. Optimè enim sibi consulunt, qui bellum, quod in ipsos molitur princeps, cui viribus impares sunt, pacem petendo à se avertant, monitore Christo (t). Hac tamen cautione, ne degeneret in servitorem, quæ bello neutiquam antehabenda. In quam sententiam concurrunt Scriptorum gravissimi, Cicero: (u) *Nomen, inquit, pacis dulce profectò est, & res ipsa salutaris: sed inter pacem & servitutem plurimum interest: pax est tranquilla libertas, servitus malorum omnium postremum, non modo bello, sed morte etiam repellendum.* Polybius ait: *Metuendum est bellum, sed non usque ad eò metuendum, ut ejus vitandi gratia, omnia velis sufferre.* 3. Cum peritis belli, & qui exercitatione non minus, quam ingenio & judicio plurimum valent, consilium ineant, de mediis auxiliisque, quibus feliciter geratur. Nam desiderantur hic vel maxime, res ad bellum necessariæ, utpote, pecunia, comæatus & arma; hæc nisi jam ante & in paratò habeant, incassum laborant. 4. Excussâ in bello, ignavâ securitate, prudenter inquirendum ipsis in loca, mores, naturamve hostium; locis, temporis occasionique invigilandum, ut prosperè cedant.

[s] lib. 30. (t) Luc. 14: 31. (u) Phil. 2.

cedant omnia, quæ ad belli prudentiâ spectât, & à nobis hac brevitate pluribus diduci nequeunt.
 5. Post prælium accuratâ circumspeditione opus est, ne vel negligentia, vel nimia fiduciâ temeritateq; victoria è manibus labatur. Fugienti hosti pertinaciter non insistendum, nam (x) *Victis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est, sumit arma formido.* Sed & à prædæ ingluvie arcendus miles. *Sape enim (y) obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, omisso hoste, spolia collectandi.*

XXVI.

4. Denique in forti dimicatione, honestatis & utilitatis publicæ causa. Quæ omnes difficultates belli superabiles facit, cui litantes, quævis fortunæ truculentioris ludibria contemnunt, ad mortem velut ad nuptiales epulas ituri. Inclinate acie animum despondere non finit, neque turpi fugâ iter ad penates parare. Metu & tremore si qui exsangves, gloria & præmiis provocat. Robur & vires militi adspirat, maximè verò si ante signa, & in pugna Dux alacer, qui (z)

*Ipse manu subicit gladios, & tela ministrat,
 Promovet ipse acies, impellit terga suorum,
 Verbere conversa cessantes excitat hasta.*

Verum temeraria fortitudo hic cespitat & vile scit, quam optimus quisque devitat, absque incusatione ignaviæ, & nullo in loco, nisi quem

(x) *Veget. l. 3. 25* (y) *Tacit. 4. Histor.* (z) *Lucan. l. 7*

quem necessitas, facit fortunæ cæcæ se committit. Hac instructis, gloriosissimum, mortem optetere pro lege & grege, quod Æneas: (1)

- - O terque quaterque beati,

Quæ ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis

Contigit optetere. Item (2)

Pulcrumque mori succurrit in armis.

XXVII.

Novissima belli legitimi conditio est Finis. Quavis magna, quamvis diuturna bella, pace tamen finienda sunt. Hunc sibi primario habeat propositum scopum Princeps, advertendo, ne longa belli continuatione vires & opes reip. enerventur; quoniam (3) ut vulnera Corporis agitatione magis diduci & curatu difficiliora reddi solent, ita Resp. continuo armorum motu adeo affigitur, ut tandem succumbat, quod ne fiat tempestiva opus est quiete. Ut bello & molestiis defungamur, pax tuta quaerenda: bellum geritur, ut pax acquiratur, ait Augustin(4). Quicquid ex cupiditate nocendi, aut fastu Cyclopico, non vero amore pacis, & zelo justitiæ proficiscitur, nec belli Legitimi titulo insignitur, nec felici gaudebit eventu.

XXVIII.

Atque ita Martium hunc Campum, sive emensi sive prætervecti, ut nautæ

- - - *Quando ex alto procul,*

Terram Conspiciunt. (5) Plaut. Manech.

(1) Æneid. 1. (2) Æn. 2. [3] Loccen. de ord. rep. l. 4. c. 16. (4) Aug. in epist. ad Bonif. ex

ex animo lætantur, ita & nos, qui pacem salutare illud bonum desideramus, avemus, à belli truculenta facie, ad pacem, vel pacis authorem Deum Ter. Opt. Max. votis & suspiriis nos convertere spe dulcissimæ pacis læti. Revertere ô aurea pax, ô cara pax revertere, tu meditatio nostra, ornamentum nostrum, tu mel & suavium nostrum; qui quæso tanto jam tempore nos deseruisti? quando ad nos reditura es?

(6) *O mucro Domini, ingredi in vaginam tuam, refrigera & sile,* (7) *sat est, quiescere fac manum tuam.*

O Princeps pacis, Deus belli, (8) *vexillum nostrum.*

(9) *Dominus est nomen tibi,* (10) *siste nobis Pa-*

atrem Patriæ Regem Clementissimum æternum

salvum & superstitem, ab ejus namque salute,

tanquam filo Ariadne, nostra omnium pender.

Vires & animum Illi suppedita, qui tam avidè

manifestis corpus suum, pro nobis objectat pe-

riculis. Solare Reginam Serenissimam Re-

giamque domum semper conserva. Proceri-

bus Regni flamine tuo sancto adesto. Quot-

quot militiae vacant, vel mari vel terrâ pug-

nantes, illis justitiam, prudentiam & fortitu-

dinem subministra. Fines patriæ a quibusvis

incurSIONIBUS defende. Academiam hanc

& quotquot in ea, docent, discuntque pro-

tege.

C

tege.

(6) Jer. 47: 6. [7] 2. Sam. 24: 16. [8] Ex. 15: 13.

[9] Ex. 17: 9. [10] Judith. 9: 16.

36
rege. Martia hæc bella compone, tuamque
nobis, O Dne. Deus, Princeps pacis, reddito pa-
cem, ut in pace coram te semper vivamus.
Tibi sit laus, honor & gloria, in omnem o-
mnium seculorum æternitatem, Amen.

Viro

Reverendo & Eximio,

Dn. ANDREÆ FRONDELIO,

amico & populari pl. dilecto,

De Bello Legitimo etudite disputanti.

Ἐκ δὲ πόνων, οἱ σὺν νεότητι δίχνη τε γένωνται
Πρὸς γῆρας τελέθει αἰὼν ἐπίδοχος, ἐνήης.
Τὴν ἑταίρει κόπων ἔυ εἰδὼς τὴν Φρένα τέρψεις,
Ἡδὲ ἀρῆ ἀβρὸν κλέος δείξας ῥα λογιμοῖς,
Οἷος νήκετος λογὸς κ' αἰπεῖά τε ἄτη,
Τῶ πολέμῳ κρυεῖδ' ἐπιβάλλειν νόσφι γέμιτος.

Synceri amoris & honoris declarandi gratia,

L. M. Q. accino,

*Cum voto ad supremum Numen,
pro felicissimis in studiis progressibus,
præmiōq; tandem uberrimo,*

L. Elingius.

DN. FRONDELLI.

Flevari audias non infrequenter, & ab imperitis traduci, veram etiam illam & genuinam Bellorum justitiam, dum vel ingruentium in hæc tempora calamitatum pertæsi homines, vel continuatorum jam multiplicium damnorum sensu perculsi, vel aliis causis provocati in rem suo pte ingenio licitam, justam, sæpe etiam necessariam, stultis obtreccionibus invehuntur. Quemadmodum autem hi adfectuum vario torquentur æstu, ita haud dubiè iniquissimè omnium judicant de Gladio Summis Potestatibus, Apostolo teste, divinitus demandato, minimeque dicis causa gestando. Fatendum equidem & valde dolendum est, plerorumque saltem Bellorum Semina malitia & pravitate vix carere. Id autem vel exinde cuiusvis obvium fit, quod regnum unum alteri contra jus, fas & obsignatam fidem, injurias quascunque inferre non vereatur, rapacissimas in commoda ejus iniiciendo manus: populus item alius, alio successibus & redivis sese longè inferiorem sentiens, invidia, per-

petuo illo gloriae & honoris comite, inflammetur, calumnias spargat, ira atq; odio excandescat. His accedit ambitio & dominandi desiderium, quo fit, ut, dum quis maiora maioraq; inexplicabili temper cupiditate sectatur, nec intra pomeria se sui regni continere potest, ad arma deveniat. Quali regnandi aviditate Alexandrum Magnum fuisse accepimus, quem, cum plures inveniri orbes audivisset, lacrymas fudisse referunt, quod nondum uno potitus esset. Nostris quoq; temporibus Turca inextinguibili imperitandi studio ardet, quâ solâ de causâ, immanitate Barbara & omni propemodum humanitate carentia in Christianos transfert arma. Ex malis hisce aliisq; id genus Bellorum principiis, nec meliores oriri effectus necesse est, quibus recensendis supersedeo, cum & passim in Historiâ sint obvii, & ex tristi nostrorum temporum experientia ubiq; conspicui. Verum enimvero ne sic quidem hæc in univ. sum illud Bellorum **JURUM** evertunt, quod in præsens quærimus, ut potius in communes hominum usus **JURA** nobis tam divina quam naturalia id permittant,

mittant, raturum habeant, præcipiant. Nam cum sint duo genera decertandi (verba sunt Ciceronis offic. lib. 1. c. 11.) unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum; confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori. Quare suscipienda quidem Bella sunt ob eam causam, ut sine injuriâ in pace vivatur. Quæ omnia amplius adparent, ubi nec Religio aliter propugnari, nec libertas defendi, nec disciplina conservari, nec injuriæ populorum vindicari aut propulsari possunt. Porro quia in Republ: maximè sunt conservanda jura Belli, est quoque, ex præcepto ejusdem Ciceronis, ulciscendi & puniendi modus. Qui si excedatur (quod sapissimè in hâc præsertim infirmitate cõtingere potest, ubi semel animi irritantur, & aliæ ex aliis adfectuum causæ subinde feruntur) id non tam Justitiam Belli in se labefactat, quam defectum aliquem administrationi adhærentem arguit, qui prout gradu vel intensior est vel remissior, ita nunc majorem nunc minorem excusationem admittere potest. Optandum tamen,

ut in pugna etiam & media acie Ratio velut
arcus intendatur, & manus quæ quasi e-
bria sunt mente semper regantur, ne Bo-
na causa, re malè gestâ, & ipsa tandem
fiat mala. Sed de his, quæ legitimi Belli
rationes concernunt, cum Tu Doctissime
Domine FRONDELI, amplius erudite dis-
seruisti, operam hanc tibi impensè gratu-
lor, & ut vergant porrò studia tua hone-
sti; conatus cæteri in nominis divini glori-
am, Ecclesiæ subsidium, Tuumque ipsius
honorem atque decus, ex toto pectore
precor, Vale.

Scrib. Ups. d. 13. Junij. A. 1678.

Tui amantissimus

JOH. BARCHIUS

L
con
cup
me
ar
lau
bel
hab
que
for
pro
hau
per
app
dis
ret
sta
feli
per
ma
illu
eac
siqu
ne,
Ego

Dne. FRONDELI,

Amice & fautor integerrime.

AD pacis mutuiq; amoris studia, cum nos natos factosque voluerit Deus & natura, ne belluarum ritu in nos invicem saviamus rationis, compotes, probe cavendum ne per nimiam illam bellandi cupiditatem, quã multi eheu! flagent, frustra ac temere in bella prorueamus; omnia enim prius consilio quã armis peragi oportet. Si quis proinde vera fortitudinis laude inclarescere velit, justam omni tempore ac loco belli causam attendat oportet, id animo firmiter fixum habens, iniqua bella auctoribus suis malè cedere finemque non dicam plerumque, sed semper tristissimorum sortiri. Est namque in cœlis Deus, qui hæc terrena providentia sua oculo respicit & moderatur, cujusque haud patitur justitia, ut alteri injuriam inferens id impune ferat: Quid? quod defensionis jus, quod natura appellare licebit, animis nostris inditum, hos intra arctissimos conclusit terminos, ut vi aperta cessante exspiret: tum vitis atq; peccatis, quæ non raro bella injusta in nos derivant, vero dolore pietatisq; studio abditis, felicem his imponere soleat finem, violatores pacis dignis pœnis afficiendo; ut eritum illud veritatis luce clarissima splendeat: Tandem bona causa triumphat: & illud Sap. II. v. 17. Per quæ quis peccat, per eadem punitur. Sed nihil attinet in his diu immorari, siquidem in hujus rei explicationem Tu Doctissime Domine, egregia egregie doces, de Bello dñi disputas Legitimo. Ego pro meo in te amore, non possum non gratulari tibi;

hob

hos & alios insignes tuos in literis profectus. Pluribus
quidem hoc facerem, sed quia (ut jam Seneca verba mea
faciam) amantis officium est non onerare ama-
tum laudibus, his, quas tua tibi virtus morumq; ele-
gantia peperit, sciens supersedeo, voroque pio claudio,
velit Deus T. O. M. belli hujus tristissimi pariter & no-
centissimi felicem facere finem, & CAROLUM Re-
gem nostrum clementissimum, salvum & in colu-
mem in seros annos conservare, quo pace reddita paci
quoq; studia artesq; bona vigeant floreatque. Per e-
andem suam bonitatem, studia honestissimosq; tuos co-
natus quoscunque porro adjuvet atque secundet, quo o-
mnia ex voto tibi cedant. Vale scrib. Upsala Ju-
nij 1678.

Tuus omni fide ac officio
JOHAN TILLÆUS.

